

Römische Geschichte (I)
Was passiert wann? Wer ist gemeint?

(Cic. rep. 2,27) Quibus rebus institutis ad humanitatem atque mansuetudinem revocavit animos hominum studiis bellandi iam immanis ac feros. sic ille cum undequadraginta annos summa in pace corcordiaque regnavisset ..., excessit e vita, duobus praeclarissimis ad diuturnitatem rei publicae rebus confirmatis religione atque clementia.

(Liv. 1,60,3) L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti. regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor. (4) duo consules inde comitiis centuriatis ... creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

(Vell. 1,9,4) Is Persam ingenti proelio apud urbem nomine Pydnam in Macedonia fusum fugatumque castris exiit deletisque eius copiis destitutum omni spe coegit e Macedonia profugere ... (§6) Cuius <sc. triumphus> tantum priores excessit vel magnitudine regis Persei vel specie simulacrorum vel modo pecuniae ...

(Vell. 1,12,3) eodem tempore P. Scipio Aemilianus, vir avitis P. Africani paternisque L. Pauli virtutibus simillimus, omnibus belli ac togae dotibus ingenii ac studiorum eminentissimus saeculi sui, qui nihil in vita nisi laudandum aut fecit aut dixit ac sensit, quem Paulo genitum, adoptatum a Scipione Africano filio diximus, aedilitatem petens consul creatus est. [...] (§5) eamque urbem magis invidia imperii quam ullius eius temporis noxiae invisam Romano nomini funditus sustulit fecitque suae virtutis monumentum, quod fuerat avi eius clementiae.

(Vell. 2,6,1) Decem deinde interpositis annis, qui Ti. Gracchum, idem Gaium fratrem eius occupavit furor, tam virtutibus eius omnibus quam huic errori similem, ingenio etiam eloquentiaque longe praestantiorem.

(Vell. 2,11,1) Bellum deinde Iugurthinum gestum est per Q. Metellum nulli secundum saeculi sui. Huius legatus fuit C. Marius, quem praediximus, natus equestri loco, hirtus atque horridus vitaque sanctus, quantum bello optimus, tantum pace pessimus, immodicus gloriae, instabilis, impotens semperque inquietus.

(Vell. 2,15,2) quorum ut fortuna atrox, ita causa fuit iustissima: petebant enim eam civitatem, cuius imperium armis tuebantur. (2,17,1) Italico bello ... Romani victis afflictisque ipsi exarmati quam integri universis civitatem dare maluerunt ...

(Vell. 2,22,1) mox C. Marius pestifero civibus suis reditu intravit moenia. nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta.